DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS,
DE HYDROCEPHALO ACUTO PRIMARIO,

QUAM, ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOHANNIS GUILIELMI GARNIER,

MATHESEOS MAGISTRI, PHILOSOPHIÆ NATURALIS DOCTORIS,

ORDINIS MATHEMATICI ET PHYSICI PROFESS. ORDINARII.

NEC NON

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GANDAVENSI,

RITÈ AC LEGITIMÈ CONSEQUENDIS,

PUBLICÈ DEFENDET

Angelus Van de Velde, ex Bottelaere.

DIE 4 JANUARII MDCCCXXIII, HORA UNDECIMA.

GANDÆ, TYPIS A. I. VANDER SCHELDEN, IN PLATEA DICTA ONDERSTRAETE.

Ex decreto facultatis 2 Martii 1818, opiniones in dissertatione propositæ, illarum auctoribus propriæ, et a facultate nec approbatæ nec improbatæ sunt habendæ.

Patri optimo,

MATRI AMANTISSIMÆ,

FRATRI SORORIBUSQUE DILECTISSIMIS

CONSANGUINEIS

CÆTERISQUE AMICIS

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

dicat vovetque

AUCTOR.

L'accroissement du systeme séreux est toujours proportionné à celui des organes qu'il reçoit. L'arachnoide est plus large, à proportion, qu'elle ne le sera chez l'adulte ; elle semble même, comme le cerveau, devenir alors le siége d'un travail nutritif plus actif : aussi les maladies y sont elles plus fréquentes. L'augmentation d'exhalation y est plus commune que dans toutes les autres poches séreuses : de la les hydrocéphales.

Bichat, anatomie generale.



DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS.
DE
HYDROCEPHALO ACUTO PRIMARIO.



§. I.

Hic morbus, qui a vocabulis græcis υδωρ (aqua) et Κεφαλη (caput) nomen suum sumit, et latino sermone hydrops capitis numcupatur, definiri potest: Colluviei serosæ intra calvariæ cavum congestio, nata ex præviâ membranæ arachnoideæ, de naturâ suâ seri exhalationem molientis, inflammatione primariâ nec non ideopathicâ, quæ vix superabili sævitiâ et in initio ferè unicè domandâ per pueros potissimum grassatur.

Nemini, membranam arachnoideam seri exhalationem moliri, mirum videbitur, modò, eam inclassem membranarum serosarum referendam esse, noverit; quod immortalis Bichatus (1) experimentis et ratiociniis non ultra stabiliendis luce clariùs demonstravit.

Prius quam hydrocephali acuti primarii ulteriori descriptioni, cujus intra limites, pro more solito et lauream doctoralem obtinendi gratiâ, aliquid de re medicâ descripturus, præ paginarum numero teneor, vaccem, pauca de divisionibus ab auctoribus stabilitis præfari, a scopo alienum non esse etiam atque etiam mecum reputavi

---

(1) Bichat, anatomie generale et descriptive.

DIVISIONES.

§. II.

Si veterum auctorum scripta, de hoc morbo, quem describere nobis in animo est, agentia, studiosè pervolvamus, meritò mirabimur, eos præcipuè et fere unicè de hydrocephalo externo, quem duplici modo distinxêre, prout serum inter cutem et pericranium vel pericranium inter et calvariam effusum, colligebatur, occupatos fuisse, minimè vel parùm sollicitos de hydrocephalo interno, quem quoque duplici ratione contingere aiebant, nimirum : ut ut serum vel inter calvariam et cerebri membranas vel inter has et cerebrum accumulabatur; sed ex eo die, quo morbi sedem in cadaveribus quærere naturæ scrutatoribus concessum fuit, compertum habemus, serum vel inter duplicaturas membranarum cerebri, vel inter hujus plicas, vel in ipsis ventriculis seorsim, vel conjunctim quoque colligi posse, quod posterius omnium frequentissimum observatum fuit, (1).

Plurimis, ne dicam omnibus, hujus morbi divisio in hydropem ventriculorum cerebri, et in hydrocephalum propriè dictum, arrisit; pro priori specie hydrocephalum acutum habuêre, pro posteriori hydrocephalum chronicum; ut demonstrem quantoperè hæc distinctio claudicet, sufficiet hic annotasse, eam in hoc peccare, quod hydrocephalo acuto, ventriculos cerebri tantummodò pro sede assignat, licet per autopsiam cadaverum, hoc morbo enecatorum, colluviem serosam non minùs quandoque per totam cerebri substantiam esse diffusam, quam in ejus ventriculis collectam, edoceamur et ex anatomiâ (2) constet, membranam arachnoideam, serum illud perspirantem, non solùm ventriculos sed et omne omninò cerebrum sacci inaperti adinstar vestire, imo per prorogationem alteram ad partem usque inferiorem canalis vertebralis descendere.

His itaque præmissis, et mente complectens, quantoperè hic morbus discrepet, ut ut formâ acutâ vel chronicâ, primariâ vel secundariâ incedit,

---

(1) Petit, in mem. de l'ac. des sc. de Paris 1718 pag. 80.
(2) Bichat, anatomie descriptive.

quatuor species, præeunte celeberr. Itard, (1) hisce caracteribus innixas admitto, videlicet hydrocephalum acutum primarium, hydrocephalum acutum secundarium seu symptomaticum, hydrocephalum chronicum primarium et denique hydrocephalum chronicum secundarium.

Nunc brevi et concinnè, quid per tres alias species sit intelligendum, hic enarrare absque re non esse arbitror.

Pro secundâ specie, quæ sub nomine hydrocephali acuti secundarii venit, habeo, quum membranæ arachnoideæ inflammationem, quâ colluvies serosa intra cranii cavum determinatur, morbus acutus primarius prægressus fuerit vel adhuc concomitetur.

An hydrocephalus acutus secundarius encephalitidis primariæ aut febrium ataxicarum vel adynamicarum effectus habendus est vel an prædictæ febres inflammationi membranam mucosam ventriculi nec non intestinorum obsidenti, et istinc metastaticè, si veterum loquendi formulâ uti liceat, ad cerebrum dilatæ, potius ortum non debent? quin hydrocephalus acutus secundarius encephalitidis primariæ effectus quandoque habendus sit, et inflammatio, membranam mucosam ventriculi atque intestinorum aliave viscera obsidens, ad cerebrum ejusque membranam arachnoideam deferri, et proinde hydrocephalum acutum secundarium producere possit non dubito; sed Phlegmasiam membranæ mucosæ ventriculi nec non intestinorum, ut jam memoratarum febrium productorem esse respiciendam, affirmare ausus non sum, mecum etiam atque etiam in animo considerans, meum nondum esse, de tantis inter eximios auctores controversiis judicium ferre.

Tertia species, cui nomen hydrocephali chronici primarii inditum est, dicitur illa, quæ ex atoniâ tum locali tum generali systematis lymphatici nata, lentis adeò passibus progreditur, ut serum quatuor, quinque imo novem libras æquans, intra calvariam omninò distensam, collectum non raró invenerint funerum lustratores; attamen in genere hic annotandum est, cranium haud semper in tantam excrescere molem, sed sæpè sæpiùs, naturales non excedere limites; tunc parti cranii externæ, occipiti vel co-

---

Dictionnaire des sciences medicales.

lumnæ vertebrali sæpè accolit tumor fluctuans, doloris nec non coloris expers, translucidus, quem spinam bifidam vocarunt auctores: Præterea hydrocèphalus chronicus primarius, auctorum quidem sententiâ, nonnumquam caracterem criticum præ se fert, et promptè hydrocephalo acuto primario succedit.

Quarta species, nomine hydrocephali chronici secundarii insignita, dicitur illa seri intra cranii cavum congestio, quæ non solùm vitiis organicis encephali, sed etiam illis systematis circulatorii nec non respiratorii ortum debet; inter priora enumerari possunt: squirri, tubercula aliæque morbidæ affectiones in cerebello, glandulâ pituitariâ et plexu choroideo obvia; inter posteriora referuntur cordis Polypi, magnorum vasorum anevrismata, aliaque id genus.

Classificatio nosographica.

§. III.

Circa hoc hujus morbi punctum, haud raro inter auctores lis mota fuit, quibusdam, imprimis illustr. J. Frankio (1), encephalitidis primariæ aut fèbrium affinium effectus visus est; ab aliis in morborum chronicorum classem, ideoque rectè inter hydropes enumerandus, refertur; Cullenus (2), ad apoplexiæ speciem rejiciendum putavit; sed illum jure in acutorum seriem morborum referri, posse, arbitror, utpote qui, brevi cum vitæ periculo, cursum absolvat, ejusque exordium omnibus pyrexiæ indiciis stipetur

Causæ remotæ.

§. IV.

Causæ remotæ in prædisponentes et determinantes discerni possunt.

Quæ ad priores rejiciendæ veniunt, sunt: ætas infantilis, præcipuè illa, quæ secundum inter et decimum jacet annum; quamvis, adolescentes ex hoc

---

(1) J. Frank, praxis med. univers. præcept. part. 2 vol. 1 pag. 279.

(2) Cullen, elemens de medecine pratique vol. 2 pag. 308.

morbo interdum è medio latos fuisse, quin etiam ætate provectiores, auctores scriptis prodeunt : inter infantes, hâc in vitæ epochâ positos, omnium maximè huic morbo favent, robusti, quibus narium hemorrhagiæ atque convulsiones sunt familiares, quique ingenio judicioque excellunt, denique illi, quorum fratres sororesve hoc morbo correpti, fatis concessêre ; omnium minimè verò hujus morbi germen in corpore alunt, qui lymphatico, exceptis scrophulosâ labe inquinatis, temperamento gaudent.

In numerum causarum, hunc morbum determinantium, referimus, quæcumque sanguinis influxum in vasa membranæ arachnoideæ augêre valent, et eatenus ejus phlegmasiam producere, huc pertinent : lapsus, contusio, ictus in caput ; animi pathemata, ut terrores subitanei; actio aëris frigidi sudante corpore excepti ; eruptiones cutaneæ, imprimis capitis, retrocessæ ; abusus narcoticorum ; dentitio difficilis, evacuationum habitualium suppressio, quales sunt : narium hemorrhagiæ, humores a crustâ lacteâ suppeditati, et denique annuæ constitutionis influxus.

Causa proxima.

§. V.

Auctores de hydrocephali acuti causâ proximâ scribentes, imaginationi suæ fræna laxarunt, quantoperè in hoc hujus morbi puncto hallucinati fuerint, luce clariùs constabit, si unam unius auctoris hâc de re opinionem in album retulerimus, Burserii nimirum : (1) auctor etenim iste hujus morbi causam proximam in aquei humoris, lente effusi, congestione, sensim sensimque factâ consistere palam professus est.

Causam proximam hydrocephali acuti primarii, in membranæ arachnoideæ vividâ irritatione, statui inflammatorio proximâ consistere, Duce celeberr. jtard (1), statuimus, quâ tanta seri exhalatio determinatur, quantam resumere vasorum absorbentium oscula nequeunt.

---

(1) Burserius, vol. 3 pag. 36.

(2) Dictionnaire des sciences medicales.

DESCRIPTIO.

§. VI.

Quum ne unum quidem in hoc morbo exstet symptoma, de quo magis auctorum dissociant animi, quam de pulsu, hujus morbi in tria stadia distinctio, ex diverso pulsûs statu à Whyttio petita, sanis deficit probis; attamen haud inutile fore arbitramur, quo demùm ordine ut plurimum in hydrocephalo acuto primario, symptomata sibi succedant, ad amussim hic exponere, quem in finem morbum hunc in duo stadia, caracteribus in dubium minimè vocandis innixa, dividere nobis placuit.

Hujus ægritudinis symptomata, tertium stadium Whyttii aliorumque auctorum constituentia, ab illis, in secundo stadio occurrentibus, non nisi intensitate differunt, et quum eidem causæ, symptomata secundi stadii producenti, et pedetentim invalescenti, debeantur, ideò ut mortis adstantis signa potius habenda sunt.

Symptomata primi stadii.

§. VII.

Primum hujus morbi stadium bis septem circiter diebus ut plurimum absolvitur, attamen, temporis intervallum, quo illud sæviat, admodùm incertum esse, ne vel unus inficias it; à capitis dolore atroci, pertinaci, regionem præcipuè superciliarem vel verticem lancinante, luminis adventu atque strepitu exasperante, exordium ducit; huc adde hunc cum ventriculi; regionis cervicalis atque musculorum pectoralium adfectibus non raró alternare; his accedunt nausea, haud raró vomitus nec non febris, nullo caractere insignis, momentaneis intermissionibus atque exacerbationibus obnoxia; arteriæ celerius moventur, parotidum pulsatio sub sensus cadit; infans dentibus stridet, atque digitis nares scalpurit, alvus ut plurimùm est constipata, a remedio purgante vix solvenda, interdùm soluta, et fæcès viride colore notatæ; ægrotantis statu in pejus ruente, pupilla dilatatur, strabismus aliquantulus advenit; a summo capitis dolore, ægrotanti clamores edendi, nec non manum

ad caput continuò tollendi, necessitas imponitur; totum corpus præsertim caput æstuat, sitis et respirandi difficultas augentur, insomnia quin imo levia deliria misellum excruciant, et tandem vomitus ferè continui, corporis motu imprimis increbrescentes de primi stadii adultâ præsentia Medicum edocent.

Symptomata secundi stadii.

§. VIII.

In hâc morbi periodo, quatuordecim circiter dierum spatio plerumque absolvendâ, cuncta pyrexiæ signa, illis seri effusionem et cerebri compressionem indicantibus, pedetentim locum cedunt: hinc arteriæ in hunc usque diem celerius motæ, nunc digitum explorantis pulsum tardiùs feriunt, tum viribus, tum intervallis quoque peccantes; capitis dolor aliquantulùm mitigatur, caloris gradus remittunt, pervigilium sive delirium a sopore excipitur, et somno lethargico corripitur ægrotans, strabismus atque pupillæ dilatatio increscunt; retinæ, admotâ luce summa inest insensibilitas; palpebra una, paralysi tacta, pendet, altera aperta manet; vomitus cessat, et quæcumque comedenda ori præbentur, devorat; alvi segnities plerumque permanet: quum per aliquot dies numero incertos ægritudo illa sub hâc formâ processerit, et summum attegerit culmen, pulsus denuo fiunt æquales, frequentes, sed admodum debiles; spiritus laboriosè, cum stertore, ut in apoplecticis, junctus, ducitur; faciei rubores cum palloribus sæpè alternant; Pharynx atque æsophagus, resolutione vel spasmo affecti, transitum omnibus omninò esculentis recusant; milliaria aliæve maculæ totum corpus et potissimùm artus obsident; facies œdemate afficitur et denique convulsiones repetitæ hujus horrendæ ægritudinis scænam claudunt.

Irregularitates et Complicationes.

§. IX.

Hujus mali symptomatum irregularis ordo, quem quandoque sequuntur, qui annotetur certò certiùs dignus est; haud raró accidit, ut dolores capitis, sero jam jam exhalato, tantummodò manifestentur: insuper medicis

nonnullis minimè sanè spernendis, vidêre contigit, symptomata maximè urgentia tam manifestas interdum præbuisse intermissiones, ut corticem peruvianum proprinare minimè dubii hæserint. In posteriori casu nonne satiùs foret, præeuntibus nonnullis, hunc morbum pro febre larvatâ habêre? in hanc opinionem suscipiendam ut proni simus suadet equidem nobis felix successus, quo cortex Peruvianus, tempestivo tempore in pari casu datus, semper coronatus fuit.

Symptomatum vigor atque multitudo in hoc morbo occurrentium non minùs admiratione medentium animos feriunt; quin temporis intervallum, quod, ad stadia sua percurrendum ei plerumque conceditur, necessariò inde in magis angustum conducatur, nullum superest dubium; quod horum multitudinis atque diversitatis originem spectat, an hæc a diverso cerebri loco cui serum incumbit petenda est? Sedem diversam seri, in encephalo latitantis, symptomatibus diversis et multiplicibus pariendis aptam esse arbitramur, sed, quin a stimuli ac subjecti, in quod hic agit, ratione, magna illa differentia symptomatum atque numerus scaturire quoque possint, minimè dubitamus.

Inter affectiones, hydrocephalum acutum primarium implicantes, imprimis citari merentur, colluvies verminosa in intestinis seu alibi nidulans, atque viscerum abdominalium adfectus : tam graves nonnumquam dolores, ad intestina, hepar aliudve viscus referendi, observantur, ut non raro pro primariis enteritide seu hepatitide medicis imposuerint; auctores de his phænomenis rationem allaturi, non meliorem excogitare potuerunt, quàm relationes sympathicas, encephalum inter et systema abdominale existentes. Quod illust. Broussais hisce verbis : l'inflammation de l'encephale entraine toujours celle des vois digestives et quelque fois celle de leurs annexes; luculenter expressit (1).

---

(1) Broussais, proposit. CXVIII.

Diagnosis.

§. X.

Quum symptomata, in hydrocephali acuti primarii exordio ingruentia haud firmo innitantur talo, nec unicè ad eum pertineant, ab analogis adfectibus apprimè distinguatur necesse est; eò magis quoniam morbus iste, symptomatibus suis pathognomicis jam jam stipatus, omnem omninò eludit medelam: hic itaque, si alicubi, principiis obsta, medico pro lege firma esse oportet.

Morbi ab hydrocephalo acuto primario secernendi, et, qui annotentur, digni, sunt: 1°. Phrenitis. 2°. Febris verminosa. 3°. Febris dentitionis dicta; his nonnulli addunt febrim intermittentem lethargicam nec non apoplexiam præcipuè sic dictam serosam; de singulis horum adfectuum nunc pauca sunt dicenda.

Haud arduum erit Phrenitidem ab hydrocephalo acuto primario distinguere, modo ad subjecta atque symptomata concomitantia animadvertamus; priori morbo obnoxii sunt viri præ fœminis in mediâ ætate positi, quibus corpora sunt plethorica, stricta nec non exercitata; huc adde symptomata, in hujus morbi decursu obvenientia, majori vigêre intensitate, nec rarò hunc morbum delirio phrenitico esse stipatum; præterea pyrexia magis est in aperto atque acuta, morbi decursus celerior, nam frequentissimè septem dierum intervallo, in mortem, alium morbum, vel ipsam sanitatem mutatur.

Irregularitas symptomatum nec non febris in hujus mali exordio occurrentium, cæteraque signa jam supra allata, non rarò colluviem verminosam, in intestinis alibive nidulantem, concomitantur; attamen affectio verminosa non tam intensam causat cephalalgiam, nec soporem adeò continuum; symptomata vix ingravescunt; venter ut plurimùm magis turget, longè minùs est obstructus, et remediis evacuantibus non resistit et quod maximè annotandum velim ægrotans manum magis naso quam capiti oculisve admovet.

Febrem primæ dentitionis dictam, illi hydrocephali acuti primarii, tantum modò inchoantis valdè affinem esse cuilibet medenti persuasissimum est: quæ periculum in errorem labendi insuper adaugent, sunt: convulsiones, vomi-

tus spontanei, sopor, pallores atque rubores faciei alternantes: lapsum illum prævenire res non est multi laboris atque sudoris; in memoriam revocare sufficiet in febre dentitionis dictâ, soporem minùs esse evidentem capitis affectionem leviorem vel saltem transitoriam; præterea infantum gingivarum tumor, dolor; salivatio nec non diarrhæa ut plurimùm viridis ad diagnosim stabiliendam non parùm conferunt.

Hydrocephalus acutus primarius manifestas ubi exhibet intermissiones, periodice recurrentes, a parte illorum, hunc morbum pro febrium larvatarum specie habentium, standum esse jam monuimus; attamen operæ pretium est, hic rationes, quibus febrim lethargicam ab hydrocephalo acuto illust. Frank (1) distinxit, adferre, quem in finem ejus propriis utar verbis: apyrexiæ, quibus febris intermittens lethargica insignitur, pulsuumque sub paroxysmo frequentia, eam ab hydrocephalo acuto, vix lucida intervalla, ac pulsum sæpe lentum habente, distinguunt.

Apoplexia, imprimis, nonnullorum judicio, serosa, magnam colit cum malo sæpè memorato affinitatem, sed prioris diagnosis facile elucescit, ratione habitâ ad evolutionem præcipitem signorum, extravasatum indicantium, ad febris absentiam, ad sensuum in et externorum motuumque voluntariorum suspensionem plùs minùsve plenariam seu feriationem, ad respirationem stertorosam et denique ad ætatem maturam.

Affinitatem illam ut plurimùm, ne dicam unicè ad apoplexiam serosam esse referendam, cum auctoribus admittere in aliud tempus differo, donec meliora edoctus, de ejus existentia convictus sum.

Prognosis.

§. XI.

Historiam de hydrocephalo acuto primario ex supra memoratis edocti, magno in periculo versari, quem morbus iste prehendat, compertum habemus; attamen vix non semper statuere nobis datum est, eo minorem, sanationis recuperandæ, spem affulgêre, quo manifestiùs membrana arachnoidea,

(1) Frank, praxis med. univers. præc. part. 2, vol. 1, pag. 298.

irritatione seu inflammatione obsessa, seri exhalationem moliatur, quo celeriùs istud fiat, quo stupor et coma violentiora, quo extremitatum algor intensior, quo arteriarum pulsus frequentiores atque debiliores evadant, et denique quo magis reiteratæ convulsiones ægrotantem torqueant; sed exemplis non carêmus, quæ, urgente jam jam stupore, hâc dirâ ægrotantes ægritudine levatos fuisse, testantur; quin imo, hunc morbum præter omnem expectationem, seri eliminatione per nares, oculos auresque factâ, interdum solutum fuisse, ab auctoribus fide dignissimis refertur.

Autopsia.

§. XII:

Hunc morbum descripturo, in amphitheatro academico autopsiæ cadaveris, hoc malo enecati, interesse mihi contigit, idcircò hunc articulum e proprio penu partim depromere potui; ablato calvariæ fornice, non solùm vasa atque sinus cerebri sanguine solito turgidiora, sed ventriculos quoque laterales, latice seroso, tres quatuorve uncias circiter æquante, stagnantes, nec non Pontem varoli, putrelagine confectum, vidimus, apertâ cavitate thoracicâ, nihil præter pleuram costalem atque pulmonalem sibi invicem accretam, subsensus cecidit; incisis parietibus abdominalibus, vermes in intestinis tenuibus nidulantes, atque ventriculum nec non intestina tenuia, perquam levissimâ phlogosi, si ita vocari fas sit, obsessa, invenimus: res haud ardua erit, si auctorum scripta, hâc de re consultamus, plura suprà recensitis vitia, in encephalo inventa, addere, nimirùm: substantiæ cerebralis mollitiem, puris exhalationem, gyrorum cerebri superficialium deletionem, meningum duritiem, densitatem atque concretiones, Glandulæ Pinealis seu Pituitariæ, testibus Monro et Petit, tumorem; huc adde ne ullam quidem seri portiunculam, præcessis hydrocephali acuti primarii symptomatibus pathognomicis, in cerebro latitantis interdum detectam fuisse; licetne idcircò concludere, ægrotantem ex hoc morbo e medio latum non fuisse? Huic opinioni, rationem de seri absentiâ allaturi, valedicimus; membranæ etenim arachnoideæ inflam matio tam intensa esse potest, ut

priùs individuo mortem inferat, quam in seri exhalationem abeundi tempus ei concedatur; præterea nonne oscula vasorum absorbentium, reliquo seri extravasati post obitum resumendo, apta sunt? Quamquam priori rationi majorem præstamus fidem, attamen, posteriorem aliquantulum conducere posse, arbitramur.

Cura.

§. XIII.

Curatio hujus morbi duas principaliores complectitur indicationes, duobus ejus stadiis innixas; medentis igitur est irritationem membranæ arachnoideæ sedare, ne in seri exhalationem prorumpat atque extravasatum, seri exhalatione jam factâ, eliminare; priori subvenimus per plura remedia, inter quæ potissimum eminent; sanguinis detractiones tum generales, tum locales, applicationes ex glacie, pilo contusâ, in capite factæ, aliaque fomenta frigida nec non remedia cathartica : de nonnullis illorum nunc fusiùs agendum restat.

Primæ hujus morbi periodi vigor et constitutio individui fortis, ut ab unâ alterâve venæsectione potissimum, monentibus nonnullis, in pede institutâ, exordium ducamus, nos sæpè exhortantur; sed quum ætas infantilis, non solùm ob nimiam sensibilitatem et venarum diametri tenuitatem, sed etiam ob virium lapsum, ab ipsius morbi decursu inductum, hoc auxilii genus sufferre nequeat; præterea quum celsi monitum e medici memoriâ elabi numquam possit, nimirum quod minùs intersit, quid in corpore intus geratur, quam quæ sint vires, medenti hirudinum vel cucurbicularum ad tempora alibive applicatio, unicè sæpè superest.

Inter remedia, in hoc morbo adhibenda, jure ab auctoribus laudantur cathartica, inter quæ præ cæteris eminet calomelas, utpote qui, citra ejus virtutem alvum laxandi, nec non vermes fugandi, in systema lymphaticum agat : de ejus dosi non conveniunt auctores; non desunt, qui mercurium dulcem a granis XV ad XXV de die propinasse asseverent; sed quum ad hanc dosim exhibitus, sæpè sæpiùs ingentem cieat salivationem, quæ no-

tantibus auctoribus, congestionem cerebralem adauget, hâc de causâ, prudentiâ duce, hunc ad grana IV vel V de die dandum esse arbitramur, nisi spontè, quod etiam accidit, alvus ingenter fluat, et viscera abdominalia sympathicè nimiùm irritata, hanc medelam contraindicent; in priori casu, salivatione non existente, unguentum hydrargyri griseum, collo, pectori cruribusque inungi, auctorum judicio, potest; in posteriori semicupia adhibêre, fomenta, quin etiam sanguisugas abdomini apponere interdum juvabit. Quum vomitus, nullis remediis, ne potione quidem antiemeticâ Riveriani sistendus, adsit, vel infans remedia assumere recuset, quid tunc medico agendum superest? infantis salutem in clysteriis, ex purgantibus aliisve remediis compositis, ferè unicè tum quærendam esse ratum habemus.

Quum morbus jam jam in aperto sit, et ejus vigor sensim sensimque remittat, vesicatoria non spernendum sistunt Pharmacum; huc adde setaceis profundè ad nucham immissis, nec non moxâ cranii vertici impositâ, infantes à morte interdum redemptos fuisse.

Pharmaca secundam indicationem absolventia, in classe remediorum diureticorum nec non sudoriferorum sunt quærenda, inter priora eminent digitalis purpurea, præparata scillitica, spiritus nitri dulcis nec non cremor tartari; inter posteriora, Balneum vaporosum, Gallorum judicio, cæteris dalmam præripit, de quibusdam illorum nunc pauca sunt dicenda.

Præterquam digitalis purpurea in contractilitatem cordis et magnorum vasorum manifestè agat, illamque, ventriculo phlogosi non affecto, deprimat, (1) à quolibet auctore in classem diureticorum quoque refertur, remedium illud in morbis hydropicis laude dignissimum, hunc morbum debellando magnoperè idoneum esse, hactenùs non compertum habemus; non solùm nauseas, ægrotantem interdum torquentes, frequentiores reddit, sed veneni ad instar, si ejus usui diu insistatur, non raró agit, et tantoperè cordis contractilitatem deprimit, ut ne ampliùs quidem excitari valeat.

Scilla non absque symptomatum hydrocephali acuti primarii remissione, urinæ secretionem adauget, annotandum huc quoque venit, remedium

---

(1) Broussais, proposit. CCCLXIV.

illud eo meliorem, quo magis vires digestivæ adhuc vigeant, semper sortiri effectum, ejusque virtutes, addito muriate mercurii, augêri; atque ejus præparata, præprimis vinum scilliticum, externè adhibita, non raròhuic morbo profuisse.

Decrescentibus jam jam ægrotantis viribus, infusum florum arnicæ haud parvi ducendum sistit remedium, conclamato morbo, ac summâ urgente debilitate, roborantia omnis generis pharmaca ut vina generosa, extractum corticis peruviani, camphora, moschus, oxydum zinci, ipsumque opium dies ægrotantis procrastinant.

Prophylaxis.

§. XIV.

De sævitiâ, quâ hydrocephalus acutus primarius per plures ejusdem familiæ proles grassatur, nimiùm proh dolor! Convicti medentes, huic morbo venienti occurrere tantum omnes, quantum potuêre, enixi sunt; sed hactenus nec cautelæ nec remedia, quibus fiduciam habêre possumus, exstant: attamen quædam, hic loci quæ recenseantur digna, præ cæteris ab auctoribus commendantur; huc pertinent: potentiarum hunc morbum determinantium fuga; in cubiculis temperaturæ constantis, modicæ, nec nimiâ luce collustratis, mora. Exercitatio modica in aere sicco, puro, montano; repetita, tempore dentitionis; facie rubore suffusâ et capite æstuante, ad tempora vel in trajectu venarum jugularium hirudinum applicatio; corticis daphnes mezerei brachiis ad exulcerationem usque, repetitis vicibus, appositio, setacei ad nucham immissio aliaque id genus; nec non urinæ, si solitò parciùs fluat remediis leviter diureticis, promotio.

TAMTUM.



POSITIONES MEDICÆ.



I.

Quando abundans sanguinis emisso per vulnuscula hirudinum facta, magnam in gastro-enteritidis acutæ initio induxit debilitatem, ægrotantis vires, si circulatio non sit interrupta per stimulantia mox non esse restaurandas cum Broussai admittimus; sed convalescentiam valde promptam huic magnæ debilitati insequi, cum eodem auctore non sustinemus.

II.

Mulier gravida, morbo acuto laborans, si abortum patitur, sæpe in pristinam sanitatem restituitur.

III.

Omnis Phlegmasia varium agnoscit exitum pro variâ organi structurâ atque causâ.

IV.

Articulum distortum, veteratores in omnem sensum contorquendo atque comprimendo non rarò carie afficiunt.

V.

Artus seu membrum aliquod, in parte quâdam â Globulo Sclopetario ablatum, alteram requirit amputationem.

VI.

Lactis metastasim negamus.

VII.

Corticis Peruviani virtus febrifuga augêri nequit.

VIII.

Sulfatem kinæ æquè ac corticem Peruvianum virtute febrifugâ gaudêre, imo prius Pharmacum posteriori plurimis in casibus esse anteponendum ex experientiis in Nosocomio academico institutis pro certo statuimus.

Vidi nihilque reperi quod legis Acad. art. 56, *adversetur.*

F.-E. VERBEECK,

F. M. h. t. Decanus.